DE CORPORIBUS EXTRANEIS INTRA ŒSOPHAGUM HÆRENTIBUS.

THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ,


Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. TUSSANO BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Præposito, Professore Regio, Regiæ Chirurgorum Academiæ Consiliario, & pro commercio Extraneo Secretario, *tueri conabitur* ANTONIUS DESTREMAU, *Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister, nec-non nuper Adjutor Primarii Castrorum Exercituumque Chirurgi.*

PARISIIS;

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;


Die 24ª Septembris, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno R. S. H. 1763.

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi.

M. DCC. LXIII.



D. O. M.

DE CORPORIBUS EXTRANEIS INTRA ŒSOPHAGUM HÆRENTIBUS.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



Um ex conditione suâ vivum corpus ex omni parte detrimentum patiatur, eodemque quo vivit motu, eodem ad ruinam tendat, nisi deperditorum adsit reparatio, hinc homini alimentorum assumptio & digestio apprimè utiles annumerantur. Fames & sitis, tum esculenti, tum potulenti necessitatem indicant; usus verò, appetitus, imò voluptas, absorbendi materiam & apparatum disponunt. His sensationibus modò ad malum continuò imminens avertendum cogitur, modò pro alimentorum specie, sapore grato ad actiones utiles invitatur homo; sicque sanum & vegetum servatur corpus.

§. I.

Alimenta ſolida diverſas in ore tum à maſticatione tum à ſalivâ ſubeunt mutationes, non item liquida. Utraque poſt varias labiorum, buccarum, linguæ, uvulæ, veli palati actiones, ab ore, mediante deglutitione per Œſophagum ad ventriculum determinantur. Maxima ad ſanitatem Œſophagi utilitas: periculum enim machinæ immineret, ſi obſtructus alimentis negaret aditum, aut his intrà ipſum hærentibus via tranſituris præcluderetur.

Œsophagus eſt canalis cilindricus, partìm membranaceus; partìm muſculoſus pone trachæam hærens; ſiniſtrorsùm tamen lateraliter prominens, ſuprà vertebras colli & dorſi ſitus. In gulâ ipſius principium ubi pharinx: per collum, thoracem, imò partem abdominis ſuperiorem progreditur. In collo laxâ cellulari telâ, vicinis partibus adhæret; intrà thoracem, mediaſtinum poſterius permeat, ibique ſiniſtrorsùm tendens, per foramen in diaphragmate ſiniſtrum, intrà abdomen ad ventriculum penetrat, ſicque ipſius in ventriculo finis, quo loco ipſius orificium ſuperius conſtituit.

Quadruplicem membranarum ſeriem in Œſophago diſtingunt Anatomici. Prima & exterior membrana efformatur à textu cellulari vicino, ſi thoracem excipias in quâ mediaſtinum poſterius hunc canalem ambit. Muſculoſa altera, diverſo fibrarum ordine conflatur: fibræ exteriores interſectæ, ſecundùm longitudinem canalis excurrunt: interiores modò obliquè tranſverſales, modò tranſverſales textum efformant intricatum, & ſpirales aut annulares ſtrictè loquendo (*a*) non obſervantur. Tertia ſolidior albicans, nervoſa vulgò nuncupatur; Rugas interiores ſecundùm canalis longitudinem diſpoſitas offert; ideoque muſculosâ majorem habet amplitudinem. Quarta & interior membranæ oris, nariumque continua, quamdam habet cum villosâ inteſtinorum membranâ ſimilitudinem. Ab eâ differt per villoſitatem leviorem: mollis, pulpoſa, humorem mucoſum interiùs exhalat, partibus leniendis, alimentiſque faciliùs deglutiendis idoneum. Duæ glandulæ peculiares, *Dorſales* aut *Œſophageæ* dictæ, ſuprà quintam è dorſi vertebris ſitæ, eidem ſecretioni favere videntur. Pærtereà ſtructuram œſophagi conſtituunt vaſa arterioſa, venoſa, & nervoſa à partibus vicinis mutuata.

(*a*) *Winſlow*, *Expoſ. Anat. de la Poitrine*, n°. 159. *Vid.* etiam Morgagni, Epiſt. Anat. XI. n°. 50.

Hæc est naturalis Œsophagi conformatio. Vitiari tamen potest vel à primâ origine, uti observavit Blasius in infante quinque annorum nato, cui Œsophagus erat maximâ parte divisus, ita ut materiæ deglutiendæ hìc duplex daretur via; ductus tamen erat simplex, tùm in principio, tùm ubi erat ventriculo vicinus (*a*). Item tumefactis obstructisque glandulis constringitur, alimentisque via præcluditur; undè pejora accidentia & mors ipsa subsequuntur. Simile exemplum vidimus in muliere jamdudum ægrotante, quæ post deglutitionem difficilem, imò sub fine impeditam, obiit. Œsophagus post mortem dissectus, majorem in principio exhibebat tumefactionem, quâ paulatim auctâ, ferè evanuit ipsius cavitas, deglutitioque fuit prohibita. Quandoque etiam mutatâ partium structurâ, sponte coarctatur, uti memorat *Sampsonius* (*b*), de muliere quâdam deglutitione difficili laborante. Aucto morbo, fame enecata fuit ægrotans. Aperto cadavere, Œsophagus apparuit cartilagineus, à clavicularum regione ad ventriculum usque; tantaque erat ipsius constrictio ut vix setam porcinam admittere posset.

Sua *est Œsophago peculiaris actio*; quæ in Pharinge incipiens per totum ipsius tractum, eodem ritu successivè ad ventriculum usque propagatur. Alimenta versùs Pharingem impulsa, suâ præsentiâ partem tubi titillant, musculi constituentes fortiùs statim contrahuntur, suprà massam contentam agunt. Resistunt equidem velum palati, & aliæ partes oris; sed cum reparandorum urgeat necessitas, hinc etiam non retròpelluntur deglutita; naturali dispositione & appetitu versùs partem vicinam inferiorem determinantur: ibi repetitâ eâdem actione eadem fiunt: sicque successivè *in omnibus tubi partibus*. Hanc actionem, molestâ sensatione, probant deglutita justò calidiora aut mole majora.

Alimenta proprio pondere versùs ventriculum determinari incassùm objiceretur. Gravitas rectaque corporis in homine dispositio favere quidem possunt; at præcipuè operatur partium actio. Ex quadrupedibus pleraque deglutiunt, capite inclinato; homines resupini absorbent, imò inversi, & supra caput recumbentes solida & fluida deglutiunt & versùs ventriculum impellunt. Hic certè non gravitatis sed actionis determinatæ effectus.

(*a*) Gerard. Blasii, observ. Med. Anat. part. 4. observat. 8.
(*b*) Miscell. curios. ann. 1713. obs. 170. Boneti Medic. Sept. lib. 3. de Œsophag. affectib. Sect. 1. cap. 1.

Absoluta Œsophagi actione in superiori ventriculi orificio, contenta non refluunt : obstat Diaphragma Œsophagum constringens, ita ut in homine sano vapores in ventriculo coerceantur, nisique ex vitio, & sæpiùs cum dolore quodam, erumpant. Ventriculo pleno incurvatur etiam Œsophagus, indeque reditus difficilior.

§. II.

Œsophagus transmittendis alimentis dicatus, ipsorum transitum, moram verò non sine incommodo, imò & periculo patitur. Hinc corpora quælibet deglutita intrà Œsophagum hærentia, ipsiusque functionibus noxia, tanquam extranea non immeritò haberi debent.

Ex his corporibus, quædam aut quantitate suâ tantùm nocent, sic carnium frustula, fructus, panis, aliaque alimenta justò majori quantitate deglutita ; aut duriora, æqualia, mole suâ canalem obstruunt : talia sunt ossa minora, cartilagines, glandes plumbeæ, globuli vitrei, nummi aurei, aut argentei, nuclei, &c. Alia tum propter figuram inæqualem, pungentem, secantem, ut acus, vitri fragmenta, majorum piscium ossa, spinæ, aristæ, ossa inæqualia ; tum propter materiam, ut corpora cuprea, non tantùm nocent, sed etiam partibus periculum injicere possunt ; undè patet majora & quidem pertimescenda sæpiùs oriri accidentia, quæ corporum illorum extractioni cedere tantùm possunt.

Extractio licet præcipua sit indicatio curatoria, omnibus tamen in casibus non una eademque competit curandi norma : varia pro variâ corporum naturâ, figurâ, mole, situ celebranda *Encheyresis*. Arduum sanè sæpiùs & urgens hoc opus ! At prælucente observationum face, jam adsunt præcepta quædam, quibus minùs anceps, minùs timida, imò certior oritur Praxis (a).

Corpora quælibet in Pharinge aut superiori Œsophagi parte hærentia, si digitis aut instrumentis detur aditus, quantùm res ægri permittunt, extrorsùm sunt attrahenda. Si profundiùs sistantur, alia advocanda sunt auxilia.

(a) *Vid.* Egreg. Differt. M. Hevin, in quâ non minus doctè quam fusè examinatur Chirurgia corporibus extraneis intrà Œsophagum hærentibus competens. *Mém. de l'Acad. Royal. Chirurg. Tom. I.*

Ad quatuor capita præcipua hanc Chirurgiam revocabimus.

I. Corpora quæ quantitate tantùm nocent, si foràs attrahi non possunt, intrà ventriculum sunt impellenda : item & corpora quæ mole suâ canalem obstruunt, modò tamen corporum moles sit proportionata canali, & partem ipsius inferiorem transmigrare valeat. Adhunc finem conducunt, *porrum*, *cereum oblongum oleo imbutum*, *specillum argenteum*, *aut plumbeum*, *filum ex ferro intortum*, *plumbo olivali armatum*, quibus intra Œsophagum prudenter admissis, materia obstruens versùs ventriculum impellitur. Porrum licet sæpiùs utile fuerit, attamen cum frangi possit, alia media & præsertim cereum oblongum anteponenda. Hæc media majori cum utilitate adhiberi possunt. Periculum tamen est, ne corpora in ventriculo noceant præsentiâ, afficiantur putrefactione, ibidemque retenta inflammationes, nauseas, dolores, malaque pejora producant. Ut corpus retentum arceatur, infida & noxia foret corporum durorum, uti glandis plumbeæ, deglutitio ; feliciter enim licet quandoque cesserit, temeraria tamen & lethalis non minùs judicanda hæc medicina, si quidem incassum tentatâ, accidentia & mortem accelerabit.

II. Foras, quantum fieri potest, attrahenda sunt corpora quæ intrà ventriculum & intestina nocerent, tum ratione figuræ, tum ratione materiæ. Opus illud difficultatibus plenum & periculo etiam non vacans, absolvunt

1°. Digiti aut volsellæ incurvatæ : corporibus superiùs tantùm hærentibus applicari possunt.

2°. Profundius eumdem effectum edunt unci obtusi, plus minusve incurvati, quibus corpora crassiora faciliùs sustinentur, elevantur.

3°. Filum argenteum intortum, sub finem in modum annuli hians, aut annuli minores specillo flexili aut balænæ suspensi, feliciorem dabunt eventum, si corpora minora, uti acus, piscium ossa & alia, dimovenda sunt & attrahenda : ad eumdem finem proponitur spongia specillo aut instrumento ad id accommodato alligata (*a*).

(*a*) *Vid.* hujus instrumenti, Descript. & Figur. *Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurg.* tom. I.

4°. Licet minùs certa, corporum expulsioni etiam favere possunt, vomitus, sternutatio, tussis, imò percussio suprà dorsum; hæc, pro Chirurgi prudentiâ, diversimodè tentanda. Variis hisce mediis incassùm adhibitis, non abstinendum ab oleosis, mucosisque medicamentis quibus irritatio præcavetur, corpora obliniuntur, faciliùsque proindè expelluntur.

III. Licet corpora quædam tùm figurâ, tùm materiâ interiùs nocere queant, ideòque ad ægri bonum foràs sint attrahenda, attamen si difficilis aut periculosa fiat hæc attractio, si suâ præsentiâ intrà Œsophagum, periculum suffocationis facere possint, tum cum res ægroti urgeant, *meliùs est anceps experiri remedium quam nullum*; ideòque si foràs attrahi nequeant corpora noxia, versùs ventriculum impelli satius est. Experientiâ constat corpora inæqualia, vitrea, cuprea, aliaque etiam longa, ventriculum ingressa, post accidentia modò majora, modò minora per anum expulsa fuisse. In casibus arduis anteponenda ergo hæc Praxis; siquidem tunc adhiberi possunt largâ dosi, potus aquosi, oleosi, mucilaginosi, necnon alia pro indicationibus remedia generalia (*a*). His remediis, laxantur ventriculus & intestina, levantur dolores, præcaventur accidentia, felixque obtinetur curatio.

IV. Illa est quandoque corporum acutorum intrà Œsophagum profunda adhæsio, tanta quandòque ipsorum moles, ut nec foràs attrahi, nec versùs ventriculum impelli valeant. Periculosa licet, non desperata tamen ægri salus. Natura sæpiùs inauditas calcat curationis vias; Ars quandòque feliciter audax prudenter interiora secat & partes liberat; deniquè naturâ viam monstrante, passibus æmulis, non raró ad nova tendit ars salutaris, sicque felici concursu, salutem vix sperandam offerunt.

Quid tunc sit agendum Chirurgo, elucidabunt ritè considerata corporum retentorum indoles & effectus. Corpora inæqualia, acuta, modò sint minora, fluidorum imò & solidorum deglutitioni non semper obsistunt; expectandum ergò, cum res non urgeant; si enim sint minora, lævigata & acuta, ut acus; perforato Œsophago sæpiùs per textum cellularem progrediuntur ad cutem usque, ibique, dolore præsentiam indicante, vul-

(*a*) Plurim. exempl. videri possunt in Dissert. laudat. pag. 510. Acad. Reg. Chirurg. Tom. I.

nuſculo arte facto, extrahuntur. Quandoque per corpus graſſantur, evaneſcunt accidentia : poſt longius tempus corpora hìc aut illìc fortuitò hæſitantia, dolorem, inflammationem, ſuppurationem promovent : apertoque abceſſu, æger præteriti ferè immemor, miratur oblitum corpus foràs educi.

Corpora minora, inæqualia, intrà Œſophagi membranas partim hoſpitantia, ut oſſium fragmenta, ſuppuratione ortâ, eroduntur, à partibus vicinis ſpontè liberantur, & in ventriculum delabuntur : horum exempla plurima proſtant apud Authores. Hîc ab uſu non removenda ſunt cataplaſmata emollientia, aut ſuppurantia, utpotè huic ſcopo faventia.

Dum corpora majora intrà Œſophagum hærent, tunc canalem adimplent ; tantâ vi quandoque partes vicinas premunt, ut periculum ſit in morâ, ſæpiuſque mortis repentinæ cauſa fiant. Ad operationem, arduam licet, confugiendum & ſecandus Œſophagus. Hanc operationem primus propoſuiſſe videtur Verduc (*a*), ipſius neceſſitatem & poſſibilitatem ex anatomiâ & analogiâ poſt operationes in canibus inſtitutas ſtabilivit Celeberr. Guattani (*b*), deniquè eventum in hominibus confirmant laudandæ obſervationes (*c*).

Corporis noxii præſentiam indicant, dolor & tumor, ſicque ſæpiùs indicatur operationis locus. Si abſit tumor & tamen urgenti accidentium cohorte, corporis præſentia in dubium revocari nequeat, nihilominùs inſtituenda operatio.

Ægroti capite retrorsùm inclinato & firmato, cutis ſecundùm tracheæ longitudinem incidenda ; ſeparandi ſunt, quantùm licet, muſculi *ſternohyoïdei & ſternothyroïdei* inter quos procedendum, vitato nervo recurrente ; aperiendus poſteà ſecundùm longitudinem Œſophagus : ſicque volſellis minoribus corpus extrahitur. Majorem ad uſum etiam prodeſt hæc operatio ; ſi quidem volſellis incurvatis, corpus ſitum ſuperiùs aut inferiùs reſpectu inciſionis, facilè poteſt educi ; ſin minùs versùs ventriculum impelli.

(*a*) *Patholog. Tom.* 2. *ch..* 27.
(*b*) *Mém. de l'Acad. Royal. de Chirurg. Tom.* 3.
(*c*) *Ibid.* Hiſtor. ubi commemorantur duæ Obſervat. ſuprà dictæ.

Post operationem, fasciâ uniente vulnus deligandum; abstinendum ab alimentis, sicque paucis diebus absolvitur curatio. Quanta indè speranda evincunt observationes suprà laudatæ, necnon vulnera Œsophagi majora absque accidentibus facilè sanata.

